



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Ursmarus C. 18. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

18. April. VITÆ SANCTORVM. 199
tium auxit. His facinoribus HELENVS Heliopo-
litanam primùm mitram, deinde æternitatis co-
ronam meruit. *Ex vitis PP.*

*Si vis animam tuam in sua virginitatis integritate
persistere, aures & oculos à negotiorum secularium va-
nitate firmiter obstrue, carnalium hominum colloquia
destructioni magis quàm edificationi profutura con-
temne; nam qui tangit picem, inquinabitur ab eâ.
S Pet. Dam. Op. XII.*

S. URSMARUS C. 18. Aprilis.

Q UO tempore mater gravem URSMARO fere-
bat uterum, venerandâ fortè canitiæ senex
per visum astitit, puerulumque, manu gestatum
ejus curæ commendavit. Excusanti annonæ diffi-
cultatem panem candidum porrexit, novo mox
inter manus auctu grandescentem; prodigiique
rationem ad nascituræ prolis doctrinam retulit,
cum annis ad multorum mortalium emolumenta
amplificandam. Simul monstravit enitentem in
sublime filiolum per scalam cælo insertam. Præsa-
gio fidem adstruxit vita cælitibus quàm homini-
bus propior: nam Episcopus tempore succedente
creatus, novem annis à pane humano temperavit,
reliqui cibi tam modicus, ut validæ membrorum
vocisque vires haud immeritò miraculi instar
obtinerent. Dæmones frequenter injustâ cor-
porum humanorum possessione dejecit: metu
lemurum infestas ædes aquâ lustrali solvit: mor-
bos curationum fines egressos divinâ sanatione
depulit. Porrò charitas servandorumque morta-
lium studium in eminentissimum virtutis fasti-
gium assurrexit, cum esset quotidie cujusvis ho-
minis salutem sanguine vitæque recuperare pa-
ratus.

ratus. Rerum aduersarum patientia in Jobi comparationē euexit. Obiit anno Christi D. CC. XIII. de cælo obtinendo sollicitus imprimis, ut qui iam scelas admoverat, antequam nasceretur. *Ex Rother. Veronense.*

Multi simplices & humiles calos penetrant. Nullus verò arrogans, quamvis omnium liberalium pollet scientiâ, ad caeleste admittetur convivium, tantoq; gravioribus cruciabitur pœnis, quanto nequius donum Dei tractaverit. S. Laur. Just. de Casto Connub. c. 14.

S. THEODORUS M. 19. Aprilis.

THEODORVS cum sacramentum, quod CHRISTO dederat, Marti negasset, post fustuarium craticulæ injectus, pice ac sulphure perfunditur. Sed cum crudelitate hâc tellus commota è sinu aquas, quæ rogū extinguerent, effudisset, THEODORVS incolumis ad Marti devotos provocavit: iret ex omnibus unus aliquis in rogam, Deumq; suum etiam ipse probaret. Illi causæ diffusi rem ad sacrificulos rejecerunt. Ex his etiam DIOSCORVS adductus, palam Jovis patrocinium respuit, suscitq; ipse è flammis causam Jupiter dicere juberetur; se diem ei dicturum, se ex fano obtorto collo ad judices ignes rapturum, cæloq; pulcherrimo, quod unquam fecisset, sacrificio ipsum Jovem immolaturum: probaret ille fulmine se Deum, pictosq; suos ignes, & unâ hos in caput sacrificantis, si posset, congereret. Indoluit Jovem, ludos fieri Proconsul, & DIOSCORVM jam Christianum flammis, THEODORVM verò quadrigis raptandum dedit. Hic verò abeuntibus in præcipitium equis, alio è cælo curru triumphans in Prætorium venit. In succensam exinde